Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2079
Quelle:
Copyright:

co beneficium aliquod ecclesiasticum conferat.

DXLVIII.

308 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 41. f. currente calamo scriptus, multumque situ passus inscribitur: *R. Archiepiscopus Armachanus contra fratres ordinis Mendicantium.* Et mox: *In nomine patris et filij et spiritus sancti et virginis Marye dei matris. Amen. Propositio R.* (Richardi Radulphi f. sive Fitz-Ralph) *Archiepiscopi Armacani et Primatis Hybernie. facta in Consistorio coram Domino Papa* (Innocentio VI.) *et Cardinalibus alijsque Prelatis ad vtilitatem Cleri et populi christiani super materia mendicitatis et priuilegiorum. contra fratres de ordinibus mendicancium quibuscunque. aput Auinionem die octaua mensis Nouembris Anno Domini Millesimo Trecentesimo quinquagesimo septimo.* Thema: *Nolite judicare secundum faciem. sed justum Judicium judicate. Jo. VII. Capitulo.* Initium: *Pater Sanctissime in principio mei sermonis* &c. Adi *Cod.* anteced. ubi pluribus de hoc Opere actum.

DXLIX.

233 Codex chartaceus lat. varii Aevi, Folior. 108. f. continet sequentia: I. Epistolam *Luciferi* ad Praelatos Ecclesiae, quae incipit: *Lucifer princeps tenebrarum tristia profundi regnans Acherontis imperij* &c. et jam alias pluries notata est.

II. *fol.* 1. p. 2. absque titulo: *Guilielmi de S. Amore* Doct. *Paris.* Tractatus *de Periculis novissimorum temporum*, contra Ordines Mendicantium. Indicatum est pluries hoc opus, etiam *Cod.* DCCCIX. sed fine mutilum; in praesenti integrum excurrit prout in editione *ibid.* citata, sed *Prologus* contractior est, et ab his verbis orditur: *Quia nos vacantes sacris scripturis et exponentes eas attendimus in illis pericula novissimorum temporum* &c. Subscriptio ad calcem: *Explicit abrenunciacio contra pseudo predicatores.* Confer et *Cod.* DXLV.

III. *fol.* 11. p. 2. absque titulo Tractatus *contra Mendicantes*, seu *de Confessione proprio Parocho facienda.* Incipit: *Obedite prepositis vestris et subiaceatis eis* &c. et IV. *Articulis* constat: *de confitentis obedientia, de confessionis efficacia, de confessione ordinario, de confessione adventicio. Richardi Armachani* et *Guilielmi de S. Amore* assecla est Autor, moderatus tamen; ait enim in Prooemio: *Nullum enim erroneum intendo dicere. Absit hoc a me. Quod si contra intentionem meam esset in hoc tractatu erroneum aliquid ab ecclesia iudicatum ex nunc reprobo et reuoco* &c. Tria haec Opuscula sub exitum Sec. XIV. descripta videntur. Quae vero sequuntur ad XV. pertinent.

IV. *fol.* 23. Consilia quaedam ad Sectam *Hussitarum* reprimendam,